

478

476

482

472

487

467

527

427

577

377

Ende

Anfang

467

mento eis restitutus fuisse. Nam relatio dudum me praevenerat duplex, una videlicet, quod in mari mortuus essem; alia quod a Turcis in Thracia captivus detinerer simul cum caeteris peregrinis. Quibus dictis fides in eis aucta fuerat ex eo, quod domini mei, cum quibus de terra nostra emigraveram, nulla scripta de me eis praesentaverant, cum tamen a Hierosolymis eis litteras miserim, sed ille, cui tradideram, aliis intentus mea scripta neglexit tradere. Interim collaetantibus nobis attulit vestiarius conventus mihi nova vestimenta, sique habitum sorditatum et laborum deposui et novum quasi nuptialem indui vestem et omnem peregrinantium sollicitudinem abjeci. Per continuos autem VI dies ex dispensatione benigni patris M. Ludwici concessum est fratribus laetari et gaudere mecum. In his diebus primatus Ulmensium, magistri civium et communitalis rectores et caeteri amici et fautores suis prae-miis me honorabant et conventum laetificabant. Sed et religiosi patres ordinis S. Benedicti de Elchingen, Wiblingen, et Blabüren audito meo adventu venerunt ad mihi congratulandum. Demum generosi milites, domini mei, dominus Johannes Wernherus de Zimbris, baro, dominus Heinricus de Stöfeln, baro, dominus Johannes Truchses de Waldburg, dominus Ursus, vulgariter Ber de Rechberg de Hohenrechberg, cum perceperissent, salvum me rediisse Ulmam, ad me cum suis famulis successive ve-nrerunt et cum gaudio salutaverunt me. Sieque omnes dies illi facti sunt ita celebres, ac si Romuli festa Laurentialia fuissent innovata.

Finitis autem diebus recreationis meae abradi feci barbam, quam hucusque servaveram et XI mensibus in longum et latum nutriveram, invitus tamen, fateor, deposui eam, quia videbatur mihi, quod in ea audacior, maturior, sanior, ornatior ac vene-rabilior essem, et si proprii juris essem, nullatenus ea carere vellem, cum sit naturae ornatus, venustans viri vultum ac robu-stum timorosumque reddens virum. Sed, quia frater et sacerdos Latinus sum, propter conformitatem libens careo.

Similiter rubeas cruces, quas assutas scapulari et cappae habui, deposui, quamvis et ipsas libentissime retinuisse, cum eas intrepide, manifeste et glorianter semper portaverim coram inimicis crucis, Sarracenis, Turcis, Grossonibus, Mauris, Judaeis,

30 *